



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae Et Decreta Vitaliani Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

di in eodem Domino nostro Iesu Christo voluntates & operationes, similem scientiæ ligno gustum commiscentes, quemadmodum & isti fidem ex bono & malo proferrunt affectantibus. Vnde & talibus circumuenientes literis, ei qui miserat mittunt. Quia ergo in magno propter hæc periculo sunt res pene totius catholicæ & apostolicæ Dei ecclesiæ constitutæ, pro ea deprecamur, & obsecramus sanctissimos viros, ne hanc despiciatis periclitantem, sed adiuuetis tempestatibus laborantem, scientes in tempore tribulationis dilectionem, quæ in Spiritu sancto est, nasci. & si possibile est vos transire citius, quasi alia pro causa, ad senioris Romæ pios & firmos ut petram viros, qui videlicet vobiscum tutores nostri sunt semper & propugnatores feruentissimi veritatis, obsecrare hos supplicatoriis vocibus & lacrymis pro omnibus Christianis, quatinus mercedem a Domino sortiantur. omnibus similiter & fibimet absque nouitate recens inuenta seruantes orthodoxam fidem, & nihil super ea minus plusve suscipientes vel approbantes, præter quæ diffinita sunt a sanctis patribus ac Synodis, ut boni studii sui emulazione hoc maximum cum Dei auxilio directe prosequentes opus, cum illis siue nunc, siue in die iudicii, Dominum habeant debitorem, quem nimirum habuerunt in talibus creditorem, non aliud quid præter se sed ipsum totum, totis vobis atque illis in æternas delicias & refectionem donantem. quem & nos habere aduersus Arianos qui continuantur hic supplicate Deo, beati & nostræ ad Deum deductionis prævii, cum simus egeni, pauperes, & indigni serui vestri.

VITA,
EPISTOLÆ ET DECRETA
VITALIANI PAPÆ.

VITALIANVS, natione^b Signiensis, prouinciæ Campaniæ, de patre Anastasio, ^csedit annos 14. menses^{* sex.}

^aHic direxit responsales suos cum synodica iuxta consuetudinem in regiam urbem apud piissimos principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent renouantes priuilegia ecclesiæ reuersi sunt, quorum^{*} cle-

ANNO
CHRISTI
655.
*quinque
minus
diebus 4.
*princi-
pum

mentia ^a per eosdem missos direxerat beato Petro apostolo, & euangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ^b ornatus. Hic regulam ecclesiasticam, atque vigorem, ut mos erat, omnimodo conseruauit.^c Huius temporibus venit Constantinus Augustus de regia vrbe per litoraria in Athenas, & exinde Tarantum, inde Beneuentum, & Neapolim per indictionem 6. Postmodum venit Romam, id est, die 5. mensis Iulii feria 4. indictione supra scripta, & ^d occurrit ei obuiam apostolicus cum clero suo milliario sexto ab vrbe Roma, & suscepit eum. Et ipsa die ambulauit imperator ad sanctum Petrum ad orationem, & donum ibi obtulit. Die sabbati ad sanctam Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt obuiam ei, & obtulit super altare illius ^e pallium auro textile, & celebratae sunt Missæ. Iterum sabbati die venit imperator ad Lateranas, & ^f lauit se, & ibidem pransit in basilica Iulii. Item dominico die fuit statio ad sanctum Petrum, & post Missas celebratas, valefecerunt sibi inuicem imperator & pontifex, duodecim dies in ciuitate Romana perseverans. Omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis depositum, sed & ecclesiam beatæ Mariæ ad martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta, discooperuit, & in regiam vrbem, cum aliis diuersis quæ depo fuerat, direxit. Et postmodum secunda feria egressus de ciuitate Romana, reuersus est Neapolim. ^g Inde terreno itinere perrexit Rheiū, ingressus Siciliam per indictionem 7. Et habitauit in ciuitate Syracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus prouinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniae, per diaphra, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a seculo nunquā fuerant, ut etiam uxores a maritis, vel filios ^h a patre separarent, & alia multa inaudita perpepsi sunt, ut alicui spes vitæ non remaneret, sed & vasa sacrata, vel cimelia sanctorum Dei ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt.ⁱ Et postmodum 15. die mensis Iulii per 11. indictionem prædictus imperator in balneo occisus est. ^j Et non post multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam finiuit. Fecit autem ordinationes quatuor, presbyteros viginti duos, diaconum unum, episco-

Aaa iij

^a ornata.

^b pallam
auto tex-
tilem.

^c letus
ibidem
pransus
est.

^d Inde
mari Tyr-
reno
perrexit
Regium,

^e paren-
tibus

a-
Ass
Cass
X. 46
e-
e-
e-
e-
e-

pos per diuersa loca * nonaginta septem. Qui etiam sepul- *^{18.}
tus est ad beatum Petrum apostolum sub die sexto Ka-
lendas Februarii, & cessauit episcopatus menses duos,
dies 13.

N O T Æ.

Vitalianus
quādo pon-
tifex factus.

Tempus se-
dis eius.

^a *Vitalianus.*] Ultima mensis Augusti, anno Domini 655. in locum Eugenii successit Vitalianus, patria Signinus. Huius temporibus orientales Saxones fidem suscepserunt. In Anglia de tempore paschatis celebrandi grauissime disceptatum fuit.

^b *Signiensis.*] Sic dictus a Signia ciuitate apud Hernicos, longe ab Urbe trigesimo lapide via Lauicana sita.

^c *Sedit annos 14. menses sex.*] Menses quinque minus quatuor diebus post annos 13. sedis, patet ex initio & fine suscepti pontificatus.

^d *Hic direxit responsales suos.*] Eadem legatione Vitalianus literas dedit ad Petrum Constantinopolitanū episcopum, hortans eum ad fidem catholicam amplexandam: ad quam ille rescribens ait, se ista profiteri, quæ veteres patres docuerunt: quod ut confirmaret, eorum testimonia, (quamquam non satis fideliter) mutatis verbis annexuit. Id quod a Græcis & Latinis simul animaduersum fuit decima tertia actione sextæ Synodi, quando ibidem hæc relegentur.

Constans
oblatis do-
nis simula-
fe catholi-
cum.

Qua pom-
pa pontifex
Constan-
tem imper-
atorē Ro-
mam ve-
nientem
excepit.

^e *Per eosdem missos direxit Constans B. Petro euangelia aurea cum gemmis, &c.*] Imperator callidus hæc dona obtulit ecclesiæ, ut se catholicum & cum Romana ecclesia communione coniunctum esse fingeret: idque propterea, vt sibi conciliaret Romanum populum, totumque occidentem, quem a se tamquam ab heretico & persecutore auersum esse sciebat. Ex eo quod Vitalianus pontifex munera ecclesiæ oblata acceptarit, probabile videtur quod vna cum muneribus orthodoxæ fidei professionem emiserit: cum alioquin oblationes ab hereticis factas ecclesia recusare consueverit. Baron. anno 655. num. 2. 3. & 4.

^f *Huius temporibus Constans venit Romam.*] Anno pontificatus Vitaliani 9. Constantis imperii 22. Christi nati 663. ut patet ex Paulo diacono lib. 5. cap. 6. 7. II.

^g *Occurrit ei obuiam apostolicus cum clero suo.*] Imperator, qui post S. Martinum relegatum germanum fratrem occiderat, secundum rigorem Canonum non illa humanitate acceptandus, sed potius ab omnium ecclesiarum aditu arcendus fuisset, si non cum imperatore reconciliato, & ad vniōnem ecclesiæ reducto, totius orientalis schismatice ecclesiæ vniōnem futuram pontifex sperasset: quod deinceps vere factum esse, ex iis patebit quæ infra de successore eius filio Constantino Pogonato dicemus. Baron. ann. 663. num. 4. & 5.

Constans
quando in-
terfectus.

Constans
parricida.

^h *Et postmodum die 15. Iulii indictione 11. in balneo occisus est.*] Anno imperii sui 27. Christi nati 668. Scribunt de eo Theophanes in annalibus, & Cedrenus in compendio, quod anno decimo octavo sui imperii Theodosium fratrem germanū diaconum sacrum interfecit:

qui post mortem frequenter apparens habitu diaconi poculum sanguine plenum ei porrexerit, & dixerit: *Bibe frater.* Cuius visionis acerbitate vixtus abierit in Siciliam. Post occisum Constantem, rebellione quoruñdam Mezentius quidam imperium inuadit. Constantinus Pogonatus (ideo sic nominatus, quod Byzantio soluens, Cur nominetur Pogonatus.) adhuc lanugine fuisse, & e Sicilia promissam barbam, vt Zonaras ait, retulisset) Vitaliani papæ suppetiis fretus expulso tyranno parenti succedit. Qua de causa rogauit eum pontifex sanctissimus, ut qui auxilio Dei vicisset tyrannos, iam etiam superaret haereticos ecclesiam Dei acerrime infestantes. Detulit imperator precebus Vitaliani hoc in primis, ut quoadvsque motus bellorum ingruentium componerentur, res haeticorum silentio sopirentur. Vide Baron. ann. 668. num. 1. & 2.

¹ *Et non post multum temporis antedictus vir sanctissimus vitam finiuit.* [Anno Christi 669. qui est Constantini Pogonati imperatoris annus 2. In Græcorum sacra diptycha relatum Theodorus Constantinopolitanus episcopus Monothelita inscio & inuito imperatore expunxit, ut constat ex epistola Constantini ad Donum papam. Vitaliani obitus.

EPISTOLA I. VITALIANI PAPÆ

AD PAVLVM ARCHIEPISCOPVM CRETENSEM.

Arguit eum, quod Lappæ episcopum iniuste damnauerit, & ad sedem apostolicam prouocantem non dimiserit. Dictum episcopum pristino honori restituens, quæ contra illum acta fuerant nulla declarat.

*Vitalianus episcopus seruus seruorum Dei Paulo
archiepiscopo Cretenſi.*

DECIMONONO die mensis Decembri præsentis II. indictionis, Ioannes episcopus Lappæ urbis intra basilicam venerabilem beati principis apostolorum Petri nobis obtulit petitionem, per quam nos obnixe postulauit, atque coniurauit per terribilem, inquiens, aduentum magni Dei atque Saluatoris nostri Iesu Christi, vt secundum sacratissimos Canones, institutaque sanctorum patrum, eius causæ meritū requireremus, & sententiam promulgaremus. Obtulit illico & sententiam apud tuam fraternitatem confectam subscriptamque eius eorumque episcoporum manibus. Igitur post aliquos dies ad eius preces coaceruari Coetum in hac urbe Romana antistitum fecimus, vt nobiscum confidentes & petitio eiusdem

episcopi, & acta sacerdotaliter cognoscerentur. Dum ergo esset in hac Romana vrbe congregata eadem Synodus episcoporum pro huiusmodi negotio audiendo vel faciendo, statim nobis nuntiata sunt eiusdem exemplaria actionis, a tua fraternitate directa: quæ suscipientes, atque conferentes inuicem, ita inuenimus contineri in verbis & sensibus, sicut ea quæ nobis præfatus episcopus obtulerat, subscripta manu episcoporum, & tuæ dilectionis. Quamobrem admirati sumus, quia per suum clericum hanc vobis minime direxerit. Si enim forsitan tempus hoc prohibuit incongruum, cur absque suo scripto hanc usque nos minime direxit. Cumque recensita esset sententia coram nostris fratribus episcopis, visum nobis eisque est, quod non secundum timorem Dei, neque secundum instituta patrum, sacrosque Canones, eiusdem Ioannis antistitis Lappæ est causa cognita & terminata, vel pœnalis submissa eius persona. Propterea non leuiter contristati sumus, maxime quia & sub custodia missus est idem Ioannes antistes Lappæ diebus aliquot, & exinde adducebatur in secretarium tuæ fraternitatis, ut quod velles, inquit, loqueretur, ac rursus sub custodia ducebatur ad clausuram, sicuti habet confessio defensoris tuæ dilectionis in sententia ab eo facta: insuper & hortabatur, contra Canonum iussa, contraque legum instituta existens, ut daret fideiussorem. Deinde oportebat tuam fraternitatem secundum Canonum vigorem, tempore, quo se petiit ad nos venire, eum absoluere tuis literis: quem non solum nolueristi canonice absoluere ad principis apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens: *Quia non competenter quæris.* Quæ ergo sancti sanxerunt patres, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt? Igitur præfatum Ioannem antistitem æque inculpabilem reperientes, iuxta textum sententiæ a te nobis directæ, fecimus nobiscum cum episcopis ad Misericordiarum solennia in ecclesias Dei præcedere. Itaque statuimus atque firmamus per huius nostræ præceptionis auctoritatem, omnia quæ a te tuaque Synodo contra Canonum instituta contraque legum decreta gesta contractave sunt, vel sententiam promulgatam aduersus eum, inania & vacua esse: sed quidquid claruerit eum damnificatum,

catum, eiusdemque ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conseruans eum absque damno. Denominatum enim Ioannem, vtpote innocentem existentem, cum praesenti nostra præceptione absoluimus hinc, vt sicut ceteri tuæ dilectionis episcopi, & is suæ ecclesiæ vtilitates cum Dei peragere timore, sacrarumque regularum instituere debeat morem. Oportebat denique, dilectissime frater, oportebat nos similia similibus retribuere. Sed haec magis per ignorantiam opinamur gesta esse, quam per calliditatem. Propterea quæ præcipimus tibi secundum Deum, & propter Dominum, tuæque Synodo, stude illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundum virtutem sacratissimorum Canonum conuersari. Scriptum namque est: *Dominus Lnc. 22.*
inquit: Petre, rogaui pro te, ut non deficeret fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et rursum: *Quod- Matth. 16.*
cumque ligaueris, Petre, in terra, erit ligatum & in cælo: & quodcumque solueris in terra, erit solutum & in cælo. Postquam vero nostram præceptionem tua dilectio relegate, hanc praesenti portatori Ioannis episcopi nimirum reddat pro sui eiusdemque ecclesiæ munitione. Data die vi. Kalendas Septembbris indictione II.

EPISTOLA II.

VITALIANI PAPÆ
AD VAANVM CVBICVLARIVM IMPERATORIS.

Cum Ioannes Lappæ episcopus contra Canones fuerit condemnatus, cupit vt eius opera suæ ecclesiæ restituatur.

Vitalianus Vaano cubiculario & imperiali chartulario.

SEMPER celsitudo vestra piis hominibus præbuit cursum, semperque irreprehensibiliter viuentibus traxit libenter opem. Ideoque congruum præuidimus, per præsentia nostra scripta, Ioannem antistitē ecclesiæ Lapponis, sitæ in insula Creta, ei in omnibus commendare: quatenus diuina ope prævia, eiusque suffultus suffragio, valeat ad sanctam celeriter remeare ecclesiam. Per Septembrē enim mensēm præsentem, ii. indictione, in hac Romana vrbe ad apostolorum nostri culminis protectō-

Concil. Tom. 15.

Bbb

rum limina veniens, obtulit nobis pétitionem, per quam suppliciter precatus est nos, vt eius causæ meritum cognoscentes, canonice terminaremus. Obtulit denique nobis & sententiā, quam promulgauit eius metropolitanus cum suis episcopis aduersus eumdem Ioannem, volens eum ostendere reprehensibilem, per quam eum contra Canonum decreta poenalibus submisit. Cuius exemplar & idem eius metropolitanus nobis direxit. Propterea facientes congregari episcopos in hac vrbē, eius causa est cognita, relecta videlicet petitione eius. Et præfata sententia ab eodem metropolitano eius nobis directa, visum nobis est, non secundum sacros Canones eamdem esse sententiam promulgatam. Ideoque eam inanem atque vacuam statuimus fore, decernentes eumdem Ioannem innocentem existere, & absque aliqua culpa eam ab eius metropolita querimur subiisse; quem merito absoluimus ad suam ecclesiam regredi, scribentes eius sæpius nominato metropolitæ, vt quæ per simplicitatem egerit in eius personam contra Canonum decreta, esse vacua & inania. Eumdem itaque Ioannem (vt dictum est) antistitem, vestræ eximiæ caritati per has nostras literas cōmendantes, hinc absoluimus, ad vestra nimirum ambulaturum vestigia: & vt exinde rursus cum suis scriptis eum absoluere festinet, quæsumus, ad suam ecclesiam; commendātes eum, quibus præuiderit, vt illæsus debeat esse. Profecto enim una mecum cunctis diebus vitæ suæ & ipse pro vestræ excellentissimæ caritatis prosperitate ac longæuitate deprecabitur Dominum. Data die vi. Kal. Februarii indict. II.

EPISTOLA III.

VITALIANI PAPÆ

AD PAVLVM EPISCOPVM CRETENSEM.

Vt episcopo Lappæ occupatas ecclesiæ restituat: diaconum, qui vxorem duxit, & in duabus militat ecclesiis, corrigat: tum vt a se Eulampium, qui male audiebat, dimittat.

Vitalianus Paulo episcopo Cretensi.

AD cognitionem tuæ dilectionis congruum præuidimus perducere, eo quod Ioannes episcopus Lap-

pensis ecclesiæ nobis suggesterit , afferens eius parochiæ pertinentia monasteria , vnum quod appellabatur Pa- lea , & alterum quod vocatur Arsilli , a tua ecclesia esse inuasa . Ideoque , si ita est , hortamur tuam carissimam fraternitatem , vt ei secundum terminos sanctorum Ca- nonum reddi faciat : quia vnicuique quod iustum est vo- lumus conseruari , maxime a nostris fratribus . Cognouimus denique , quod quidam diaconus , nomine Ioannes , postquam consecratus est minister , accepisset vxorem : & non solum hoc , sed & in duabus ecclesiis militet . Id- eoque , si ita est , hoc tua dilectissima fraternitas pro Dei amore corrigat , ne denuo huiusmodi nefas proueniat adinstar male viuentium . Deinde cognouimus , quod quemdam curialem , nomine Eulampium , habeat quasi consiliarium . Non enim , vt nobis suggestum est , eum constat esse bona vita . Ille enim quotidie , vt fertur , in- ter fratres zizania seminat , vt de eorum discordia mar- supium impleteat . Quamobrem , si ita est , hortamur tuam fraternitatem , eum a se proiicere , vt eius opinio coram Deo & hominibus floreat . Data vt supra .

EPISTOLA IV.

VITALIANI PAPÆ

AD GEORGIVM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

Vt Ioanni episcopo Lappensi faueat .

Vitalianus Georgio episcopo Syracusano.

GESTA , sive sententiam a tua fraternitate directam , di-
rectissimo filio nostro Gaudentio primicerio scriben-
te eam , sibi ab antistite Cretensis insulæ transmissam , pro
causa episcopi Lappensis ecclesiæ , suscepimus , scriben-
tes ei quamobrem admirati sumus , cur ipse Cretenis an-
tistes nobis aut per suum clericum hanc minime direxe-
rit , aut per sua scripta non indicauerit quæ erant necessa-
ria . Præfatus enim Ioannes Lappensis ecclesiæ , huius-
modi sententiam manu eius metropolitæ episcoporum-
que subscriptam , cum sua nobis obtulit petitione , po-
stulans suæ causæ meritum canonice requiri . Cuius pre-
cibus moti , pro tali re in hac vrbe fecimus congrega-
ri Synodus , vt cognosceretur huiusmodi negotium .

Concil. Tom. 15.

B b b ij

Cumque esset congregata, relecta est nimis petitio
Ioannis præfulis, ac sententia a tua directa fraternitate:
quibus nobis eisque visum est non secundum sacratissi-
mos Canones, neque secundum instituta patrum, esse ea-
dem gesta promulgata aduersus prænominatum Lappen-
sis ecclesiæ episcopum. Idcirco decreuimus, eam, per no-
stra præceptionis auctoritatem, esse inanem & vacuam,
absoluentes eum ad suam ecclesiam remeare cum no-
stra præceptione ad eumdem eius metropolitam facta.
Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem se coniungente,
ei ita concurrat, vt cum literis commendatitiis domini
excellentissimi Vaani filii nostri imperialis cubicularii &
chartularii, ad suam ecclesiam prospere reuertatur. Vi-
ua enim voce pro sua causa subtiliter tuæ fraternitati,
dum ab ea requisitus fuerit, profecto indicabit, ostendens ei exemplar præcepti nostri, ad Cretensem metro-
politam directi. Præterea & Siluinus tibi * intimandum
omnia prædicantes, ne modum transgredi literarum cer-
neremur. Data ut supra.

EPISTOLA V.

VITALIANI PAPÆ
AD OSVVI REGEM NORDANHVMBRORVM,
EIVS DE PASCHATE IVDICIVM EXPETENTEM.

Gratulatur gentes sui regni ad fidem conuersas, vtque
Pascha ceteraque apostolorum traditiones obserua-
ri, totamque insulam Deo dicari curet, & reliquias
sanctorum ei mittit.

*Domino excellentissimo filio Osuio regi Saxonum Vitalianus
episcopus seruus seruorum Dei.*

Beda ibidē.
Zelum re-
gis laudat
& accedit.

DESIDERABILES literas excellentiæ vestræ suscep-
imus, quas relegentes, cognouimus eius piissimam
deuotionem, feruentissimumque amorem quem habet
propter beatam vitam. Et quia dextra Domini protegen-
te ad veram & apostolicam fidem sit conuersus, sperans,
sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo in futuro
conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissi-
mum & Dei cultorem promeruit habere regem. Quia
non solum ipse Dei cultor existit, sed etiam omnes subie-

* al. inti-
mabit
omnia
prædicta
ne

Etos suos meditatur die ac nocte ad fidem catholicam atque apostolicam pro suæ animæ redemptione conuerti. *Quis enim audiens hæc sua via non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his piis operibus? Quia & gens vestra Christo omnipotenti Deo credit, secundum diuinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Isaia: In die illa *Isa. 11.* radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Et iterum: Audite insulæ, & attendite populi de longe. *Isa. 49.* Et post paululum: Parum, inquit, est ut mibi sis seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Etrur- *Ibid.* sum: Reges videbunt, & confiungent principes, & adorabunt. Et post pusillum: Dedit e in fædus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, & dices his qui vindici sunt: Exite; & his qui in tenebris: Reuelamini. Et rursum: Ego *Isa. 42.* Dominus vocauit e in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui, & dedi te in lucem gentium, & in fædus populi, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vincitum de domo carceris sedentem in tenebris. Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius est, non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetarum gentibus, quod sint credituræ in Christo omnium conditore. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, ut pote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter principis apostolorum, siue in pascha celebrando, siue in omnibus quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus & Paulus, quia ut duo lumina cæli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat creditum.*

Et post nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum uno vero pascha loquitur: Hominem denique, inquit, docibilem, & in omnibus ornatum antistitem secundum vestrorum scriptorum tenorem minime valuimus nunc reperire, pro longinuitate itineris. Profecto enim dum huiusmodi apta reperta persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, ut ipse & viua voce, & per diuina oracula, omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum diuino nutu eradicet.

Munuscula a vestra celsitudine beato principi apostolorum directa, pro æterna eius memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro eius incolumentate iugiter Deum

Antistitem
se datum
ait Cantua-
ria.

B b b iij

deprecamur cum Christi clero. Itaque qui hæc obtulit munera de hac subtructus est luce, situsque ad limina apostolorum, pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum literarum vestris missis, & beneficia sanctorum martyrum, hoc est, reliquias beatorum apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum martyrum Laurentii, Ioannis, & Pauli, & Gregorii, atque Pancratii eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas.

Munera
etiam regi-
nae mittit.

Totius cō-
uerzionem
insulæ ex-
petit.

Matth. 6.

Quærite

Nam & coniugi vestræ, nostræ spirituali filiæ, direximus per præfatos gerulos crucem, clauem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum apostolorum Petri & Pauli. De cuius pio studio cognoscentes, tantum cuncta sedes apostolica vna nobiscum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo flagrant & vernant. Festinet igitur quæsumus vestra celsitudo, vt optamus, totam insulam suam Deo Christo dicare. Habet enim profecto protectorem humani generis redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui ei cuncta prospera impariet, vt nouum Christi populum coaceruet, catholicam ibi & apostolicam constituens fidem. Scriptum est enim: *Quærite primum regnum Dei, ac iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Nimirum enim quærit & impetrabit, & ei omnes suæ insulæ (vt optamus) subdentur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, diuinam iugiter precamur clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, vt cum Christo in futuro regnetis sæculo. Incolumnem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EPISTOLA VI. SVB NOMINE VITALIANI PAPÆ AD MONACHOS SICVLOS.

*Vitalianus episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filiis
sub patris Benedicti & Placidi dominio in Sicilia con-
stitutis salutem & apostolicam benedictionem.*

AD hoc nos superna clementia in orbe terrarum præfecit rectores atque custodes, vt dispersa congregare, & congregata conseruare, & destructa restituere sum-

mopere procuremus. Quapropter quia ciuitates, castra, monasteria, possessiones, & villas beato Benedicto in Sicilia subditas paganorum incursionibus desolatas esse audiuius, supra modum dolemus, omnipotentique Deo super hoc gratias agimus, qui ideo temporaliter hic flagella irrogat, ne in aeternum puniat. Vnde vos, carissimi filii, a fletu & moerore cessare monemus, & his nostris filiis, quos de Cassinensi congregatione ad monasteria restauranda, & ciuitates, castra, possessiones, & villas recuperandas in Siciliam dirigere studuimus, ut specialibus dominis deseruire curetis; ex parte beati Benedicti & nostra praeципientes, ut in restauratione monasterii & possessionum illos adiuuare studeatis, coemptumque laborem ad effectum perducere summopere procuretis. Nos enim & vos, & ciuitates, castra, possessiones, & villas quas Tertullus patricius beato patri Benedicto in Sicilia dedit, defendere, adiuuare, & manu tenere parati sumus. Omnipotens Deus sua vos gratia benedicat, atque a cunctis aduersis eripiat. Valete.

ANNO
CHRISTI
655.

CONCILIVM TOLETANVM IX.

EPISCOPORVM SEX DECIM,
HABITVM ANNO SEPTIMO RECCESVINTHI REGIS,

* die VIII.
Kalenda-
rum De-
cembris.
post * diem Kalendarum Nouembris, ^a æra DCXCIII.
quæ coincidit cum anno Christi DCLV. & Vitalianipapa
pæ II. Est prouinciale.

TITVL CIPI TVLORVM.

- I. *Vt de rebus ecclesiæ nihil episcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris ecclesiarum sollicitudinem gerant.*
- II. *Vt fundatores ecclesiarum, quod adusque vixerint, earum habebant curam, ipsique illic ministros eligant seruituros.*
- III. *Si de rebus ecclesia pro prestatione aliquid dari dicatur, causa praestiti cognoscatur.*
- IV. *De conquistis rebus, inter ec-*
- clesiam & sacerdotis intefati heredes, que diuisio fiat.
- V. *Si episcopus monasterium faciat, vel * parochiam ecclesiam ditet, * parochianus * quantam partem de rebus ecclesiæ conferat.*
- VI. *Vt episcopus tertiam ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit, conferat.*
- VII. *Ne extra constitutum ordinem, morientis sacerdotis heredes rem eius adire presumant.*